



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Votum ciuitatis: aedium custodia, & alimenta inclusorum. cap. 5.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

poneretur, aliam celebrauit litaniam; eumque longissima via tulit, cum vniuerso itidem clero, & populo ad celebriora loca sex, quæ Pontium nomine præcipuas ante portas ex veteri vrbs situ, appellantur. Mirum fuit, ciuitatem vniuersam, quasi contagij metu solutam, libenter, studioseque omnibus ijs diebus ad supplicationes conuenire. quòd ei tam foeliciter euenit; vt in tanto hominum conuentu, eoque sæpe repetito, cum etiam cœlum humidum esset, & graue: non modo nemo in ipsa via ceciderit, sed nihil acciderit omnino, ex quo autum esse contagium appareret. quod magis mirum videatur, si cum illius litanix euentu, quæ Sancti Gregorij suafu Romæ, vt modo tetigimus, habita est, conferatur: quæ quidem cum non vna, vniufve cœtus, sed septem-plex fuisse tradatur: vnius tamen horæ spatio octoginta homines in ipsa via interierunt. Sed Deus perpetuò clemens, ex causis, quæ nobis ignotæ sunt, non eadem semper tamen vti tur miserendi ratione. Diuinarum autem supplicationum finem Carolus minime faciens, præscripsit præterea collegio maioris ecclesiæ, vt secunda quaque hebdomadæ feria ad Ambrosianam Basilicam supplicatum iret: reliquo clero vniuerso; vt præter id, quod in ecclesia sua facere quisque debebat, quotidie in certas partes distributus, vna cum populo, veniret supplex ad ecclesiam maiorem. In ecclesiis itidem externis ad eandem rationem preces varias mandauit: vt in vrbe, & foris, mane, meridie, vespere; neque solum in ecclesiis, sed domi, vel in via propter eos qui inclusi erant, perpetua fere esset supplicatio. quæ quidem exercitationes iubebat foeminis a maribus separatis, vbi opus erat, haberi: foeminasq; semper velato capite conuenire. formulas etiam precationum ad eam rem, tum alias, tum in

Missæ sacro adhibendas edidit, quæ omnia singillatim persequi nolumus; ne cui forte narratio molesta sit: præfertim cum libellis tunc Caroli infusu editis contineantur. Hæc publice per vrbe fiebant; præter ea, quæ per religiosa virorum, foeminarumque collegia, partim ex Caroli præscripto, partim ex Antistitum religione, proprie, non solum in ecclesiis palam, sed etiam priuatim, pie, sancteque agebantur, ad diuinæ misericordiæ opem exposcendam.

Supplicis Ecclesiæ, Sacerdotisque sui preces non statim audire visus est Dominus. quin pestilentia latius in dies cepta progressionem manans, iam totam occupauerat ciuitatem. Sed liberatione dilata, eam mentem, eaque consilia, ad ciuitatem sacra, ciuilique cura tali tempore gubernandam, eius rectoribus diuina clementia dedit: vt nihil vnquam præclarius in eodem genere factum videatur. Carolus autem ita se gessit; vt licet fatendum sit, antiquæ pietatis, & lumen, & vim ad maiora facienda valuisse: exemplum tamen ipse, memoriæ, quod sciam, aut litteris adhuc minime proditum, pastoribus reliquerit, gregis pestilentia tempore gubernandi. Eam rationem, quantum potero, breuiter exponam: dicam vero prius, quæ Mediolanensis ciuitatis consilium, reliquis etiam, qui in vrbe erant, consentientibus, Deo, eiusque martyri Sebastiano vouit; quem & propter similia beneficia per eum quandoque impetrata; & quòd matre Mediolanensi natus, Mediolani quoque eruditus esset, sibi deprecatores aduocarunt. vouerunt igitur, nouam martyri ecclesiam, vetere diruta, ædificare: conferre, vnde sacrum in ea fieri quotidie posset: diem martyris festum, etiam cum diei antecedentis ieiunio colere: ecclesiam ipsam, cum solemnibus donis, quotannis in die voti, hoc est Idib. Octobris, & festo

Votum ciuitatis: quod diuina custodia, & alimenta in cluorum, GAP. V.

itea



item martyris adire: vas pretiosum offerre, quod eiusdem martyris ossis decorum esset receptaculum. alia addiderunt, quæ hic explicare necesse non est. Carolus vero, vt voto rite, decoreque soluendo quam maxime faueret; quibus diebus populo conueniendum fuit; vna cum clero Ecclesia adita, sacrisque apparate peractis, religiosissimam effecit celebritatem. atque anno post, cum ciuitas ex diuturna afflictione recreata esset; ædificij forma probata, primum ex Ecclesiæ stato ritu lapidem posuit.

Cum igitur agroti vna cum rebus suis, vt quisque morbo inficiebatur, pro iam instituta gubernatione foras educendi essent; tam magnus erat numerus; vt Gregoriana loca exiguam eorum partem caperent. Ideo extramœnia ad vnamquamque portam, agro conducto, casæ quædam ex lignis, paleæque constructæ sunt; vt portæ singulæ quasi vicum quendam casarum circiter ducentarum haberet. de earum autem opportuna, & salubri ædificatione Carolus, qui nihil ad se non pertinere arbitrabatur, quod ad ægros, egenosque suos iuandos spectaret, plurima monuit; & parochis etiam suis libello edito præcepit, at multietiam, quibus non deerant facultates, eas sibi, cum egredi necesse esset, ampliores, & commodiores edificarunt. De ijs vero, qui in vrbe mauerent singularis quædam ratio, ne malum serperet latius, neque tamen sine aliquo exemplo, inita est. Publico interdicto non pueri solum, & fœminæ, vt antea; sed quicumque in vrbe essent; rebus, vt quisque posset, ad eius temporis victum, comparatis, omnes iussi sunt quadraginta diebus domi se continere. grauissimæ poenæ ijs, qui non parerent, propositæ: publicæ custodiæ constitutæ ad populum continendum: furcæ quoque per urbem pluribus locis, ad terrorem iniiciendum erectæ. certis tamen ho-

minibus permissum est exire, necessariaque, domum quisque suam, referre. Miseranda sane res erat: quæ ad rerum humanarum nobilitatem, diuinæque animaduersionis seueritatem aliquo modo contemplandam, magnopere valeret: amplissimam ciuitatem paulo ante admirabili ordinum omnium frequentia celeberrimam; ciuium, externorumque splendore ornatissimam; nobilium hominum, currum, equorumque pompa, & concursu passim fulgentem; publica quadam lætitia, atque opulentiæ semper florentem: quæ vtinam extra christianæ modestiæ fines tantopere non prodissent: tunc in solitudinem propemodum esse redactam. Sacræ ædes vacuæ; fora derelicta; negotiatorum mira multitudo, atque assiduitas tota sublata; notariorum, omnique iudiciorum prope infinita turba disiecta: in vijs furcæ pro ornamentis; nemo fere obuius, nisi funesta carra; quibus vel cadauerum acerui, vel ægroti semianimes, & squallidi, efferatorum hominum opera, suis a sedibus, rebusque; chiarissimis auulsi, quasi proiecti, foras asportabantur: quorum non aspectus solum, sed ipse rotarum stridor, ad obuios longe monendos comparatus, etiam a remotis auditus magnum iniiciebat horrorem. Quamquam autem maximus ciuium numerus, immo ex tribus, duæ propemodum partes ab vrbe iam discesserant: maxima tamen remanebat, vt in vrbe frequentissima, egenorum multitudo: nam & qui se periculis subducentes exierant, ex locupletioribus fere fuerunt. vt autem res ad victum cuique repositæ quotidie minuebantur; ita numerus in dies augebatur egētium. cum igitur ex tanta inopia, & ipsis egenis interitus, & reliquis non paruum periculum immineret; cōsiliū ciuitatis egregia sane prouidentia, & humanitate, ijs omnibus statuit subuenire; & domo inclusis quotidiana cibaria

lib. 1. tit. 1. §. 1.  
 & 2. §. 1. tit. 1. §. 1.  
 & 3. §. 1. tit. 1. §. 1.  
 & 4. §. 1. tit. 1. §. 1.  
 & 5. §. 1. tit. 1. §. 1.



cibaria offiatim ministrare. quam ad rem cum aliud consequi non posset; communia civitatis vectigalia venalia proposuit; magnamque pecuniam vim ex ipsis confecit. memorabile factum, hominum circiter quinquaginta millia de publico mensibus amplius se fuisse sustentata; quamquam multae etiam elemosynae in id collatae sunt. sed neque illud vulgare: quae ad victum necessaria essent, gratuita piorum, nobiliumque; viroborum manu, operaque quotidiana per singulas domos tradita fuisse. quorum egregiam erga patriam, pauperesque pietatem, hic nominatim efferrem, nisi nimis longum esset, ob magnam numerum; consideremque, coelestia potius ab eis; quam caduca haec, qualiacumque sint, laudis humanae praemia expeti. Ea tempestate multorum inanis elatio, improvidumque consilium correctum est: qui magnos quæstus in epulas, vestitumque; immoderatum insumentes, splendorem stulte retinere conantur; qui tum conditionem suam longe superat, tum subito aliquo impedimento, verti potest in sordes. In ea publica egestate, vicorum, oppidorumque multorum officium liberalisque obferuantia erga urbem, tamquam matrem suam, exitit: nam triticum, & alia, quae ad egenorum multitudinem alendam vlti esse possent; vt inter se corrogare, colligereque potuerunt; sponte Mediolanensibus miseris. vt etiam Casalense oppidum, quod in Cremonensi dioecesi Mediolano distat millibus passuum amplius septuaginta, munera praecleara miseris. quae de re Consilium civitatis & gratias egit, & grati animi significatione, quosdam ex eius oppidi primarijs civitate donavit.

Quoniam vero plurimis ad tantam multitudinem curandam, iuvandamque, opus erat ministris: qui vero praemis ducerentur humanis; ij neque ita multi reperiebantur, vbi ma-

xime vitae discrimen non dubie verfaretur; & minus amanter, imo plerumque odiose officium tribuebant: Carolus pro Pontificia auctoritate, Apostolica dona singillatim, distincteque proposuit ijs, qui variis officiis, muneribusque aegros iuvarent; medicis, praefectis variis, chirurgis, obstetricibus, nutricibus, famulis, aliisque quorum industrig, atque opere in aegrorum, egenorumque cura, posset esse locus. maiora vero gravioribus, cumulatioribusque officiis, ministeriisque assignavit. Cum autem nulla in re consilium, laborem, vigilantiam, auctoritatemque suam affectae civitati deesse pateretur; iis de rebus erat maxime sollicitus, quae ad animas expiandas, saluandasque pertinebant. sacerdotes desiderabat in primis, qui sacrosanctis rebus iuvarent aegrotos. ac Gregorianae quidem turbae, priore mortuo, alium itidem ex Helueticis regionibus presbyterum dederat. in quo tantus fuit morbi contemptus; vt locum ingressus, statim se in eodem lecto collocavit, in quo alius mortuus erat: posteaque licet pestilentia bis affectus, numquam deterreri potuerit ab aegris assidue, non solum adeundis, audientisque; sed quocumque modo opus esset, tangendis, atque tractandis, vsque ad pestilentiae finem, dederat item Paulum Belintanum Brixiensem, ex Capucinorum ordine: qui sacramentis exceptis, non enim sacris erat initiatus; rebus omnibus multitudinis salutem curabat; ac Praesidis cuiusdam eo loco personam, partesque sustinens, & pestilentiae nomine inclutos, & eis inferuentes, etiam auctoritate Senatus in officio continebat, puniebatque delinquentes. At iis item quasi valetudinarijs castris, quae extra moenia posita erant, consulendum erat; sacerdotesque dandi, qui sacra praebent; ne flagitia committerentur curarent; & ipsorum quoque praefectorum actio-

nes

Carolus mī  
nistros egro  
ris suppedi  
tar.  
CAP. VI.